

Has tres Plantarum novas species hoc vespere in congressu nostro academico Institutum scientiarum evulgo; eas tibi nunc offero, quasque perhumaniter, ut soles accipe tamquam observantiae erga te meae tributum. Alias quoque stirpium species novas haberem, quas tecum, si per te licet, alias forte communicabo. Vale vir praeclearissime, mihi que magni tui nominis obsequentissimo fave.

Dabam Bononiae Idibus Decembris An: 1767.

Utanskrift:

*Celeberimo Sapientissimoque Viro  
Equiti Carolo Linnæo  
Regiæ Majestatis Sueciæ Archiatro  
Medicinæ et Botanices Professore amplissimo  
Upsalam.*

Linn. Soc., Vol. I: 434—435.

146.

Amplissimo Sapientissimoque viro  
Equiti Carolo a Linné  
Naturalium Historicorum Principi  
S. P. D.

Ferdinandus Bassi.

Perjucunda tua sollicitus adimpleo mandata, vir omnium praeclearissime, Skeleton nempe hic accipies Ranunculi palustris flore albo Graminis Parnassi foliis. Til: C: H: Pis: <sup>1</sup> 145. Tab: 46: fig: 1:, quem Alismam (Michelianam) foliis cordato-ovatis acutis petiolis nodoso-articulatis Linneanum praeclearum systema persequens nuncupavi, tui erit hanc plantam perscrutari atque pro certo aptius definire.

Iterum hoc anno in hortulo meo floruit Felfel-Tavil Prosperi Alpini<sup>2</sup>, cujus flores attente perlegens, eorumque structuram, mihi videtur ad Apocyni genus pertinere hanc Plantam, ideoque eam Apocynum (viminalis) fruticosum filiforme volabile cicatricibus oppositis te Duce et docente inscripsi. Perquam rarum floridum skeleton hujus quoque Plantae tibi gratum fore, et jucundum non dubitavi, ideoque illud adjunxi, tibi que vir amplissime, offero floridum skeleton, ut meam erga te observantiam obsequiumque ostendam.

Quid sentias de nova Psoraleae specie, cujus tibi misi semina, expecto. Meum, si tamen aliquid otii habebis, siccum evolvere herbarium